DISSERTATIO DE SORTITIONE JUDICUM APUS ATHENIENSES.

G.F. Schömann

STORAGE-ITEM
MAIN - LPC

LP9-F21G
U.B.C. LIBRARY

83
34

THE LIBRARY

THE UNIVERSITY OF
BRITISH COLUMBIA

DISSERTATIO

DE

SORTITIONE JUDICUM

APUD

ATHENIENSES

AD SHOLL. ARISTOPH. PLUT. V. 277.

QUAM

AMPLISS. PHILOS. ORD. AUCTORITATE

PRO VENIA DOCENDI

D. OCTOB. H. L. Q. S.

P. P.

GEORG. FRID. SCHÖMANN

PHIL. DR. AA. LL. M.

GRYPHISWALDIAE

MDCCCXX.

THE LIBRARY

THE UNIVERSITY OF
BRITISH COLUMBIA

§. 1. Norunt omnes, qui in cognoſcenda Athenienſium republica aliquid ſtudii collocarunt, ex quam turbidis ſaepe fontibus haec cognitio hauriri debeat, quamque difficile ſit, iis ſcriptoribus, qui duces nobis in hoc quaeſtionum genere ſequendi ſunt, bene et prudenter uti, fidem eorum recte aeſtimare, vera a falſis discernere, repugnantia inter ſe conciliare. Sed omnium maxime lubrica et laborioſa eſt Scholiaſtarum et Lexicographorum tractatio, ad quos, quum e multis atque egregiis ſcriptoribus, qui olim de Athenienſium legibus et inſtitutis data opera accurate et copioſe expoſuerant, nemo aetatem tulerit, nimis ſaepe nobis confugiendum eſt. Quam multa enim illi tradere ſolent, etſi e bonis fontibus derivata, tamen peſſimis additamentis ita corrupta et temerata, vix ut minimo uſui ſint; quam multa manifeſto falſa, neque aliunde niſi ex male intellecto alicujus ſcriptoris loco hauſta; quam multa denique, quae ſtatim intelligas ab ipſis temere conficta eſſe, ne inſcitiam ſuam faterentur. Atque haec omnia etiam in bonam partem illorum Scholiorum cadunt, quae ad Ariſtophanis comoedias e variorum Grammaticorum commentariis a Thoma Magiſtro, Triclinio aliisque collecta ſunt, in quibus,

quamquam plurima erudite et ſubtiliter tradi non nego, haud multo tamen minorem eorum numerum eſſe arbitror, quae aut nullius aut perexigui pretii aeſtimanda ſint, neque ſine multa cautione in uſum noſtrum converti queant. Ex hoc genere etiam illa ſunt, quae ad Pluti v. 277 de judicum ſortitione traduntur, de qua nobis hoc loco disputandum ſtatuimus.

§ II. Conſtat autem inter omnes, a Solone ad omnia judicia, iis exceptis, quae φονικὰ dicebantur, omnibus civibus Atticis, nullo cenſus et ordinum discrimine, aditum conceſſum eſſe, ita ut ex univerſo civium numero, qui quidem non minores triginta annorum et fama ſeu ſtatu integri (ἐπίτιμοι) eſſent, judices ſorte caperentur. Sed e ſortitis judicibus alii erant arbitri ſ. διαιτηταὶ, de quibus hoc loco non agimus, alii, qui peculiari nomine δικασταὶ, nonnunquam etiam ἡλιασταὶ dicuntur, (vid. Append.) de quorum ſortitione haec disputatio inſtituta eſt. Porro in eo quoque plerique omnes nunc conſentiunt, Heliaſtarum numerum fuiſſe ſex millium, eosque in ſingulos annos ſorte ductos, deinde autem, quoties cauſa aliqua in judicium deducenda eſſet, rurſum ex his legitimum numerum a Thesmothetis eductum eſſe ad illam cauſam judicandam. Atque de iſto ſex millium numero teſtis eſt Ariſtophanes, Veſp. v. 661, ubi Bdelycleon haec ait:

Ἀπὸ τούτων νυν μιᾶὸν κατάθες τοῖσι δικασταῖς ἐνιαυτοῦ
ἓξ χιλιάσιν, κοὔπω πλείους ἐν τῇ χώρᾳ κατέναθε.

Nam quod Petitus Legg. Att. p. 412 opinatur, pro ἓξ χιλιάσιν rescribendum esse πέντε χιλιάσιν, satis jam refutatum est a Matthiaeo, de Judiciis Athenienſium, in Miscell. philolog. P. II, p. 252. — De annua autem sortitione dubitare nonnulli videntur, velut Hudtwalckerus de arbitris p. 11; et possit fortasse aliquis Aristophanis locum ita interpretari, ut sex millia numerentur non eorum, qui soli e reliquis civibus selecti essent, ut per annuum tempus judicum heliasticorum munere fungerentur neque quisquam praeter eos alius; sed eorum, qui judicare vulgo solerent et ad quotidianas sortitiones profiteri, aut rei ipsius studio, aut quaestus cupiditate prae caeteris inducti. Attamen annuam quoque judicum sortitionem fuisse patet Isocratis loco, περὶ τῆς ἀντιδόσεως, p. 8 ed. Orell., ubi dicit: καὶ γὰρ αἰσχρὸν - - παρ' ὑμῖν (alloquitur autem judices) μηδὲ τῶν ἴσων τυγχάνειν τοὺς κινδυνεύοντας τοῖς συκοφάνταις, ἀλλ' ὀμνύναι μὲν καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν, ἢ μὴν ὁμοίως ἀκροάσεσθαι τῶν κατηγορούντων καὶ τῶν ἀπολογουμένων. κτλ. Nam jusjurandum annuum sine annua sortitione esse non potuit. Etiam Julius Pollux duobus locis, VIII, 87 et 88, de duabus diversis judicum sortitionibus loquitur. Altero enim loco in communibus novem Archontum officiis numerat τὸ κληροῦν δικαστάς, judices sortiri; altero autem Thesmothetarum proprium fuisse ait, ut unicuique eorum magistratuum, qui judiciis praeerant, judicium suum h. e. legitimum judicum numerum sorte assignarent. Ταῖς ἀρχαῖς, inquit, ἐπικληροῦσι τὰ δικαστήρια τὰ ἴδια καὶ τὰ δημόσια. Atque prior illa sortitio, quam omnes novem Archontes peragebant,

quin annua fuerit, mihi quidem non dubium esse videtur. Adde, quae a Matthiaeo l. l. p. 253 satis probabiliter dicuntur de loco orat. in Aristogit. I. p. 778, quae hîc repetere non libet *).

---

*) Antiquitus jusjurandum a judicibus in Ardetto datum esse Grammatici docent. Erat autem is locus extra urbem ad Ilissum prope stadium Panathenaicum. Vid. Poll. VIII, 122. Harpocr. Hesych. et Suid. h. v. Lex. rhet. in Bekkeri Anecd. I. p. 207. Συναγ. λεξ. χρησ. ib. p. 443. Etymol. M. p. 147, ubi falso Ἀρδιττες scribitur. Quod autem Harpocr. et auctor συναγ. λ. χ. dicunt: ἐν τούτῳ δημοσίᾳ πάντες ὤμοσαν Ἀθηναῖοι τὸν ὅρκον τὸν ἡλιαστικόν, ex eo apertum esse arbitror, annuum ibi jusjurandum dari solitum, quamquam Pollux hoc confundere videtur cum alio, quod quotidie, vel potius quoties judicia habenda erant, a judicibus dabatur, qua de re alio loco dicendum erit. Ceterum illud πάντες Ἀθηναῖοι apud Harpocrationem et illum alterum Grammaticum haud dubie minus accurate dictum est. Nam etiamsi ab omnibus, quotquot ad sortiendum convenerant, ante sortitionem hoc jusjurandum datum esse statuas, jurabant tamen nonnisi qui triginta annorum non minores erant, id quod ipsa jurisjurandi verba docent ap. Demosth. in Timocr. p. 747: καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντ' ἔτη. Fortassis autem hoc jusjurandum idem est ὅρκος τοῦ δήμου, cujus meminit Andoc. in Alcibiad. p. 112. — Sed si jusjurandum illud annuum in Ardetto dari solebat, conjici potest, eodem

§ III. His itaque positis jam videamus, numquid de sortiendi modo et ratione ex iis, quos supra dixi, interpretibus Aristophanis ad Plut. v. 277 disci possit. Quatuor ad hunc versum Scholia in editionibus nostris distinguuntur, omnia inter se diversa, duo autem ita manifestis erroribus plena, ut iis refellendis supersedere liceat. Nam quis non statim sua sponte intelligat, quanta fides habenda sit istis hominibus, quum eos audiat decem haud amplius judices nobis narrantes, totidem quot dicasteria Athenis fuisse volunt, ita ut in singulis dicasteriis singuli viri etiam de capite et fortunis civium judicarent. Haec enim ille, cujus scholion quarto loco legitur, apertis verbis docet *); et primi quoque Scholiastae non aliam esse sententiam attentus lector facile perspiciet, quamquam Sigonius de Republ. Ath. III, 3 verba ejus aliter accepit et in Ephetarum creationem explicandam transtulit. Sed contra hunc jam a Krebsio, diss. de Ephet. § 5, et a Matthiaeo, de Judic. p. 158, satis disputatum est. Missis igitur istis nugatoribus ad reliquos duos nos convertamus. Alterum autem ex his, qui secundum in illa collectione locum obtinet, Petitus, Legg. Att. p. 392, et ejus assecla unum

---

loco etiam sortitionem annuam peractam esse, quamquam de hac Grammatici tacent. Verum posteris temporibus morem istum abolitum esse Theophrastus testatur apud Harpocr. l. l.

*) Conf. et Schol. ad Plut. v. 973, Suid. in ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες, et Apostol. Proverb. cent. II, n. 85 apud Hemsterhus ad d. l.

sibi ducem in hujus rei tractatione elegerunt, altero prorsus neglecto, quod quo jure fecerint, lectorum esto judicium. Nunc quidem ante omnia hominem ipsum audiamus.

§ IV. Ἐν ταῖς Ἀθήναις πολλὰ ἦν δικαστήρια, καὶ ἔν τισι μὲν ἐδίκαζον περὶ φονικῶν πραγμάτων, ἔν τισι δὲ περὶ δημοτικῶν. Καὶ ἕκαστον δὲ τούτων εἶχεν ἕν τι τῶν στοιχείων εἰδικὸν ὄνομα· οἷον, ἦν τι τῶν δικαστηρίων λεγόμενον Ἄλφα, ὁμοίως ἄλλο λεγόμενον Βῆτα, ἄλλο Γάμμα καὶ ἑξῆς τὸ Δ καὶ τὸ Ε καὶ ἕως τοῦ Κ. δέκα γὰρ ἦν τὰ δικαστήρια ἐν Ἀθήναις. Καὶ πρὸ θυρῶν δὲ ἑκάστου δικαστηρίου ἐγέγραπτο πυρρῷ βάμματι τὸ στοιχεῖον, ὅτινι τὸ δικαστήριον ὠνομάζετο. Hic parumper subsistamus. Decem haud amplius Athenis dicasteria fuisse dicit, in quorum aliis de caede similibusque criminibus, veneficiis puta, vulneribus occidendi animo inflictis atque incendiis (haec enim vulgo τῶν Φονικῶν nomine designari solent), in aliis autem de causis civilibus judicaretur; nam has esse arbitror quae δημοτικὰ a Grammatico nostro dicuntur. Quid igitur? num Areopagum quoque et quatuor Ephetarum dicasteria hoc numero comprehendit? In his enim, jam inde ab antiquissimis temporibus, judicia de caede exercebantur ab Areopagitis et Ephetis. Sed Scholiastes noster, ut e sequentibus patet, in omnibus decem dicasteriis heliasticos judices sedisse vult, id quod in Areopagum non cadit. Hunc igitur ex illo numero eximendum esse jam Petitus judicavit. Sed quid de Ephéticis statuamus? Constat sane, in uno dicasterio τῷ ἐπὶ Παλλαδίῳ, quod antiquitus Ephetarum proprium fuerat, Demosthenis quidem aetate ab

heliaſticis judicibus de caede judicatum eſſe. De reliquis tribus, ἐπὶ Πρυτανείῳ, ἐπὶ Δελφινίῳ et ἐν Φρεαττοῖ, admodum incerta res eſt, neque, meo judicio, probabilis, niſi de uno, τῷ ἐπὶ Δελφινίῳ. Nam in hoc non minus quam in Palladio Heliaſtas judicaſſe facile crediderim. Ponamus igitur in decem dicaſteriis haec duo numeranda eſſe: τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ et τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ: reſtabunt octo, neque difficile eſt, tot dicaſteriorum nomina e veteribus ſcriptoribus colligere. Quin aliquanto plura Meurſius protulit, in Areopag. c. XI, quamquam ſunt in his nonnulla, de quibus dubitari merito poſſit. Plura tamen fuiſſe, quam Scholiaſtes noſter arbitratur, mihi quidem haud dubium videtur: quot fuerint, liquido demonſtrari nunquam poterit. Eſt autem omnis haec quaeſtio longior et difficilior, quam quae obiter hoc loco tractari poſſit; quamobrem in appendicem libelli rejiciendam putavi. Scholiaſtae autem opinio unde orta ſit, videor mihi ſatis manifeſto deprehendiſſe, qua de re poſt ſuo loco exponam. Quod autem de litteris dicit, quibus ſingula dicaſteria notata fuerint, dubium eſſe nequit propter Ariſtotelis auctoritatem apud Schol. ad Plut. v. 278 (cf. infra § VII); quamquam quo jure iſtae litterae εἰδικὰ ὀνόματα vocentur, haud perſpicio.

§ V. Reliqua Scholii pars haec eſt: Ὅσοι δὲ δικάσταὶ ἦσαν ἐν Ἀθήναις, ἕκαστος καθ' ἕκαστον δικαστήριον εἶχε δέλτον, τουτέστι πινακίδιον, ἐν ᾧ ἐγγεγραμμένον ἦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ τοῦ δικαστηρίου. εἶχε δὲ καὶ ῥάβδον ἅμα τῷ πινακιδίῳ· καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγε-

γραμμένον. Ὅτε οὖν συνέβαινε καιρὸς τοῦ δικάζειν, ἤρχοντο πάντες οἱ δικασταὶ εἰς τὴν ἀγοράν, κἀκεῖ κλήρους ἔβαλλον· καὶ ὅστις ἂν ἐκληροῦτο κλῆρον ἔχοντα τὸ Α, ἀπήρχετο εἰς τὸ Α δικαστήριον· ὁμοίως εἰς τὸ Β καὶ τὰ ἑφεξῆς ἀπήρχοντο. καὶ πρῶτον μὲν ἐδείκνυε τῷ κήρυκι τοῦ δικαστηρίου τὸν κλῆρον τοῦ στοιχείου· ὁ δὲ κήρυξ λοιπὸν ἐδίδου αὐτῷ τὸ πινάκιον αὐτοῦ καὶ τὴν ῥάβδον, εἶτα οὕτως ἐδίκαζεν. εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσῄει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο. Haec, nisi perversissime Scholiastes noster locutus est, non aliam sententiam habere possunt, nisi hanc: 'Unumquemque judicem denas habuisse tabellas, pro dicasteriorum numero, singulas in singula, sui ipsius nomine et dicasteriorum notis inscriptas; item scipiones totidem, iisdem notis insignitos. Utrumque non ab ipsis domi suae, sed publice a magistratibus asservatum esse oportebit, quum dicat, post peractam sortitionem eos, quibus alicujus dicasterii sors obtigisset, tabellas suas et scipiones a praecone accepisse, eos nimirum, quibus illius dicasterii nota inscripta erat. Jam finge tibi aliquot millia tabellarum et scipionum, e quibus sua cuique seligenda essent; neque amplius dubitabis, quanti aestimanda sit Scholiastae nostri auctoritas. Sed Petitus p. 393 longe aliter ejus verba accepisse videtur; ait enim: „Athenienses qui vellent judiciis reddundis vacare, nomina sua dabant tabellae inscripta, adscripto patris populique nomine: totidem quoque erant tabellae, quarum aliae aliis harum decem litterarum (ab A ad K) essent notatae, pro numero scilicet eorum, qui in hoc vel illo foro essent judicaturi. Atque ita fiebat, ut prout quisque hanc aut illam litteram sortire-

tur, ita huic aut illi foro judex traderetur. Quicunque autem litterae sortem nactus erat, fori illius praeconi ostendebat. Praeco tabellam ei dabat, in qua nomen illius itemque fori inscriptum, itemque virgam cum eodem fori nomine, quibus potestatem judicandi adipiscebatur καὶ τὸ δικαστικόν." Sed haec quonam interpretandi artificio ex illo Scholio exsculpserit, viderint acutiores. Quodsi quis alius praeter Petitum tale artificium calleat, dubium non est, quin multa adhuc incognita neminique perspecta et ex hoc Scholiaste et ex aliis ejus similibus erui possint. Ceterum, ne diutius his tricis immoremur, omissis singulis, quae in aliam ab aliis sententiam torqueri possint, in universum quod sentio proloquar. Nimirum, utcunque Scholiastae verba acceperis, haec tamen semper erit sententia; in quotidianis sortitionibus judicum, quotquot professi erant, omnium nomina in sortem conjecta ac singillatim educta esse, donec suus cuique dicasterio numerus expletus esset; quod quam operosum fuisset quantumque temporis absumsisset, in tanta judicum multitudine, sua quisque sponte intelligit. Et sequebantur haud dubie Athenienses aliam rationem aliquanto et breviorem et faciliorem, cujus quaedam vestigia et alibi deprehendi, et apud tertium Scholiasten, ad quem nunc jam progrediemur.

§ VI. Ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ δικαστήριον, πινάκιον ἔχων ἐπιγεγραμμένον τὸ ὄνομα αὐτοῦ καὶ πατρόθεν καὶ τοῦ δήμου, καὶ γράμμα ἔν τι μέχρι τοῦ Κ, διὰ τὸ πάλαι δέκα φυλὰς εἶναι Ἀθήνησιν· διήρηντο γὰρ κατὰ φυλάς. Hic primum illud

probe animadvertendum eſt, quod ab hoc Scholiaſte docemur, judices in decem partes diſtributos fuiſſe, pro tribuum numero, ita, opinor, ut e ſingulis tribubus ſingulae eſſent partes, qua de re poſt pluribus diſſeremus. Dein litteras, quibus iſtae tabellae inſcriptae erant, non fuiſſe dicaſteriorum, ut prior Scholiaſtes voluit, ſed partium illarum notas. Neque igitur denas ſed ſingulas ſingulis judicibus fuiſſe tabellas, easque non poſt ſortitionem a praecone aut magiſtratu aliquo iis datas, ſed ab ipſis, quum ad ſortiendum convenirent, allatas eſſe. Quodſi verum de his tabellis dicit, res in hunc fortaſſe modum comparata erat: Poſt annuam judicum ſortitionem, quum et univerſus numerus ſortitus et in partes decem diſtributus erat, tradebantur judicibus iſtae tabellae, quas, quum ad quotidianas ſortitiones in forum *) venirent, ſecum afferrent, ut ex iis cognoſci poſſet et ſortitos eos eſſe in hunc annum Heliaſtas et cuinam Heliaſtarum parti adſcripti eſſent. Haec ſi ita fuerunt, neceſſe eſt, diverſas has tabellas fuiſſe a *συμβόλοις* ſive teſſeris, quae judicibus poſt ſortitionem dicaſterium intrantibus a magiſtratibus dabantur, quibus poſt judicatam cauſam prolatis mercedem acciperent. Et ſane ſi certum eſſet, poſtremam noſtri Scholii partem ejusdem auctoris eſſe, atque prio-

---

*) In foro quotidianas judicum ſortitiones peragi ſolitas Schol. 2. diſerte teſtatur et res ipſa per ſe veriſimillima eſt. Cf. Ariſt. Eccleſiaz. v. 681. Falſo igitur Scholiaſtes noſter dicit: *ἔρχεται ἕκαστος εἰς τὸ δικαστήριον* pro *εἰς τὴν ἀγοράν.*

rem, quod equidem valde dubito, videremus satis diserte πινάκιον a συμβόλῳ distingui. Leguntur enim ibi haec: τοῖς λαχοῦσι δικάσαι εἰσελθοῦσιν ἑκάστῳ σύμβολον δίδοται παρὰ τῆς ἐπὶ τούτων εἰληχυίας ἀρχῆς, ἵνα ἐξιόντες καὶ τοῦτο προσφέροντες λαμβάνοιεν τὸν δικαστικὸν μισθόν. Πινάκιον autem jam ante sortitionem Scholiastes noster judicibus tribuit. Etiam Julius Pollux VIII, 16 inter σκεύη δικαστικὰ seorsum nominat πινάκιον et σύμβολον; quamquam non satis certa est illius loci lectio. Nam quum vulgo ibi legatur: Σκεύη δὲ δικαστικὰ, σύμβολον, βακτηρία, πινάκιον, πινάκιον τιμητικόν, in uno codice prius illud πινάκιον omittitur, ut τιμητικὸν tantum πινάκιον relinquatur, ab hoc, de quo nunc agimus, diversissimum. Ceterum de isto συμβόλῳ conf. etiam Aristot. ap. Schol. ad Arist. Plut. v. 278, Jungermann. ad Polluc. l. l. Demosth. de coron. p. 298, et qui ibi a Tayloro laudantur, Boeckh. de oecon publ. Athen. pag. 253, Lex. rhetor. pag. 301 init. Mercedis autem judicialis, quam post peractum judicium his tesseris prolatis accipiebant, dispensatores fuisse Colacretas non ignotum est. Vid. Boeckh. l. l. pag. 187. Verum ipsae tesserae utrum ab his an ab iis magistratibus, qui cuique judicio praeerant, distributae sint, non docent Grammatici; sed hoc tamen verisimilius videtur.

§ VII. Pergit Scholiastes noster hoc modo: Εἶτα οἱ Θεσμοθέται καὶ ἑνδέκατος ὁ γραμματεὺς ἐκλήρουν τὰ γράμματα μέχρι τοῦ Κ. καὶ τὸν λαχόντα ἴσα *) τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικα-

*) In edd. ἴσα legitur, contra praeceptum Etymol. M. p. 477.

στηρίοις ὑπηρέτης φέρων ἐτίθει καθ' ἕκαστον δικαστήριον ἕν. Hic primum pro ἐνδέκατος, reſcribendum arbitror δέκατος, cum Matthiaeo de Judic. p. 255. Eodem modo loquitur Schol. ad Veſp. v. 772: Ἐπειδὴ Θεσμοθέται καὶ δέκατος ὁ γραμματεὺς κληροῦσι τοὺς δικαστὰς τοὺς τῆς αὐτῆς φυλῆς ἕκαστος. Solent autem nonnunquam Thesmothetarum nomine omnes novem Archontes deſignari, qua de re vid. quae disputat vir doctus, qui ſub Freimundi nomine latet, in Faſcicul. Philolog. I, pag. 101. Dein ordinem verborum turbatum eſſe reſtituendumque in hunc modum puto: οἱ Θεσμοθέται καὶ δεκ. ὁ γρ., κατὰ φυλὴν ἕκαστος, ἐκλήρ. κτλ. Ita demum Grammatico noſtro ratio conſtare videtur; quamquam hoc ipſum haud dubie falſum eſt, quod quotidianam judicum ſortitionem a toto Archontum collegio peractam dicit, quae a ſolis Thesmothetis peragebatur. (Vid. § II.) Sed quam facile in errorem induci potuerit, cuivis patet, quum propter generaliorem nominis Thesmothetarum ſignificationem, tum propterea, quod annua quidem judicum ſortitio a novem Archontibus eorumque ſcriba peragebatur, et quidem haud dubie κατὰ φυλάς, h. e. ita ut decem illi viri Heliaſtas ejus anni e ſingulis tribubus ſinguli ſortirentur. — Denique pro τὸν λαχόντα ap. Schol. non dubito quin legi oporteat τὰ λαχόντα, ſc. γράμματα. Jam omnis loci ſententia haec erit: In urnam ſ. ſitellam conjiciebantur decem iſtae litterae, quibus judicum partes denotabantur, ab A ad K; ex his tot educebantur, quot eo die judicia futura erant: ἴσα τὸν ἀριθμὸν τοῖς μέλλουσι κληροῦσθαι δικαστηρίοις. Has miniſter quidam publicus ad

dicaſteria ſingula ſingulas ablata propoſuit. Nam aliter equidem poſtrema Scholii verba explicari non poſſe arbitror. Et fortaſſis ſolebant tabulae majores litteris iſtis, quae ſortiendo eductae erant, inſcriptae pro dicaſteriis proponi; quamquam ne hae quidem cui uſui fuerint perſpicio, nec libet hariolari. — Reliqua Scholii verba facillima ſunt: *εἶτα πάλιν ἀπεκληροῦντο οἱ τὰ εἰληχότα γράμματα ἔχοντες, τίνες δικάσουσι καὶ τίνες οὔ.* Fiebat autem id non ſemper, ſed tum demum, quum non tota judicum pars judicatura erat, qua de re paullo poſt diſſeremus *). — Ceterum omiſit Scholiaſtes noſter, *τῶν βακτηρίων* ſeu ſcipionum mentionem facere, quae poſt ſortitionem judicibus dabantur, ſimul ut pro inſignibus eſſent judiciariae poteſtatis, et ut eorum ope facilius ſuum quisque dicaſterium, cujus ſortem nactus erat, inveniret neque alio aberraret. Nam quum dicaſteria omnia et coloribus et litterarum notis inter ſe diſtinguerentur, iisdem et coloribus et litteris etiam ſcipiones iſti, aliis alii, inſigniti

*) Quae poſt haec in Scholio noſtro leguntur: *ἐγράφοντο δὲ ὅτι, ἐπεὶ ἦν πέντε δικ. κτλ.*, ea mihi neque integra eſſe videntur, ſed aliquot verbis in principio mutilata, neque ejusdem auctoris, cujus ſunt priora, neque vero ullius pretii. Quamobrem his immorari nolo. Rurſus melioris notae haec ſunt: *τὸ δὲ ὁ Χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι κτλ.*, peſſimae autem, quae his ſubjunguntur: *δέον δὲ εἰπεῖν κτλ.* Haec omnia e diverſis auctoribus nullo judicio conſarcinata ſunt.

erant, ut vel ex his ipsis cognosci posset, in quo quisque dicasterio sedere deberet. Atque de coloribus quidem dicasteriorum et scipionum multi testantur, velut auctor Lex. rhet. p. 220, 17: *Ὁμόχρωμοι τοῖς δικαστηρίοις ἐδίδοντο βακτηρίαι, ἵνα ὁ λαβὼν οἰουδὴ χρώματος βακτηρίαν εἰς τὸ ὁμόχρωμον εἰσέλθῃ δικαστήριον καὶ μὴ εἰς ἕτερον πλανᾶται, διὰ τὸ πολλὰ εἶναι τὰ δικαστήρια.* Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1105: *ἐδίδοντο δὲ καὶ βακτηρίαι τοῖς δικασταῖς, ὁμόχροοι τοῖς δικαστηρίοις, ὅπου ἑκάστους εἰσελθόντας δικάζειν ἔδει, ἵνα τὸν ἁμαρτάνοντα ἀπελέγξῃ τὸ χρῶμα.* Cf. Jul. Pollux VIII, 16. *Δικ. ὀνόμ.* in Bekkeri Anecd. I. p. 185. Taylor. ad Demosth. de cor. 298. De litteris autem, scipionibus quoque inscribi solitis, testatur non solum Schol. 2 ad Arist. Plut. v. 277, qui ait: *καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ῥάβδῳ ἦν τὸ ὄνομα τοῦ δικαστηρίου ἐγγεγραμμένον*: nam ὄνομα ibi nil aliud est nisi littera, qua dicasterium denotabatur; sed, nisi ego valde fallor, etiam Aristoteles ap. Schol. ad v. 278: *τοῖς γὰρ δικαστηρίοις χρῶμα ἐπιγέγραπται ἐφ' ἑκάστῳ ἐπὶ τῷ σφηκίσκῳ τῆς εἰσόδου. ὁ δὲ* (δικαστὴς scil.) *λαβὼν τὴν βακτηρίαν βαδίζει εἰς δικαστηρίον τὸ ὁμόχρουν μὲν τῇ βακτηρίᾳ, ἔχον δὲ τὸ αὐτὸ γράμμα, ὅπερ ἐν τῇ βαλάνῳ.* Rectissime Hemsterhusius in principio pro χρῶμα rescribi vult γράμμα, id quod vel adjunctum verbum postulat. „Quis enim," inquit, „Graece sciens dicat ἐπιγράφειν χρῶμα;" Sed quid sit *ὁ σφηκίσκος τῆς εἰσόδου*, neque Hemsterhusius explicat, neque ego intelligo. *Σφηκίσκον* Grammatici dicunt lignum oblongum et in acutum desinens; *τὰ γὰρ μικρὰ τῶν ξύλων καὶ εἰς ὀξὺ συνηγμένα σφηκίσκους καλοῦσιν.* Schol. ad Plut. v. 301 et Suid. h. v. Sed

haec ſignificatio h. l. non quadrare videtur. Apud Polyb. V, 89 σφηκίσκοι ſunt ligna ad aedificandum aptata; ſed qualia fuerint, non apparet eo loco. Mihi in mentem venit, pro σφηκίσκω ap. Ariſtot. reſcribendum eſſe σφηνίσκω, dictumque id vocabulum eſſe pro eo, quod vulgo ἀέτωμα ſ. ἀετός dici ſolet, ſ. pro faſtigio ſupra fores, cujus forma cuneo comparari poteſt. Sed exempla hujus ſignificationis fruſtra quaeſivi. Illud quidem notum eſt, inſignia aedium in faſtigio plerumque collocari conſueſſe, quamobrem etiam litteras iſtas eodem loco pictas fuiſſe dubitari vix poteſt. — Τὴν βάλανον autem, quam Scholiaſtes commemorat, glandem ſive globulum eſſe arbitror, in ſumma ſcipionis parte pro ornamento impoſitum; de quo ornamenti genere conf. Herodot. I, 195; et exſtant hodieque, praecipue in vaſis, quae dicuntur, Etruscis, ſcipionum in hunc modum ornatorum exempla. Huic igitur ſcipionis glandulae inſcripta erat dicaſterii nota. Hemſterhuſius quum hanc Scholii noſtri partem non intelligeret, correctionem propoſuit, quam nunc refellere nihil attinet. — Ceterum erant hae judicum βακτηρίαι ex eo genere, quae ὀρθαὶ dicuntur, diverſae ab iis, quas ruſtici et paſtores geſtabant, quae καμπύλαι ſeu σκολιαὶ erant. Vid. Etym. M. v. βακτηρία et Caſaub. ad Theophraſt. Char. p. 76 ed. Fiſcher. Neque illud ſilentio praetermittam, quod monet Feithius Antiq. Homer., iſtum judicialium ſcipionum morem ex ultima antiquitate repetendum videri, quum jam apud Homerum judices σκῆπτρα inſtructi ſint, v. c. Iliad. XVIII, 505.

§ VIII. Jam vero, priusquam reliqua perſequar, de judicum diviſione in decem partes, quas, quum aliud commodius vocabulum non occurrat, *decurias* vocare licebit *), paullo accuratius disputandum eſt, quum praeſertim nemini adhuc eorum, qui de re judicaria Athenienſium ſcripſerunt, haec res cognita fuerit. Dixi igitur, Scholiaſtae auctoritatem ſecutus, decem fuiſſe judicum decurias, litterarum notis ab A ad K diſtinctas: has, quum judicia habenda eſſent, in ſortem a Thesmothetis conjectas ex iisque totidem eductas eſſe, quot judicia eo die futura eſſent. Ita facillimo negotio et breviſſimo tempore ſuos cuique cauſae judices ſortitos eſſe. Haec ita generatim poſita poſt accuratius definienda, nonnihil etiam reſtringenda erunt; in univerſum autem quam ſint veriſimilia, quilibet etiam me tacente intelligit. Sed ſunt etiam loci aliquot Ariſtophanei, qui, niſi rem ita ſe habuiſſe ſtatuas, commode explicari nullo modo poſſunt. Ex his primum afferam eum, cui illuſtrando iſta, de quibus egimus, Scholia conſcripta ſunt, Plut. v. 277:

Ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὼν τὸ γράμμα σου
δικάζειν,
Σὺ δ' οὐ βαδίζεις, ὁ δὲ Χάρων τὸ ξύμβολον
δίδωσιν.

---

*) Nemini lectorum ignotum eſſe arbitror, decurias judicum ap. Romanos non denorum, ſed multo plurium fuiſſe. Vid Caſaub. ad Sueton. Octavian. cap. 32.

Verba haec ſunt Carionis ſervi, qui ſenibus, quos alloquitur, ut decrepitis et capularibus irridens, capulum dicit pro dicaſterio, Charontem autem, per ἀναγραμματισμόν, pro Archonte. Atque hunc quidem luſum interpretes omnes facile aſſecuti ſunt; illud autem τὸ γράμμα σου, littera tua, quid ſibi vellet non perſpexerunt. Nam omnes ita fere ſtatuunt: totidem quotidie ſortes, aliam alia littera inſcriptam, in ſitellam conjectas eſſe, quot judices eſſent ſortiendi, h. e. aliquot millia; ex his ſingulas a ſingulis judicibus eductas, ut in eo quisque dicaſterio judicaret, quod eadem littera, atque ſors ab ipſo educta, inſcriptum eſſet. Verum hanc opinionem, non opus erit multis refellere. (Cf. quae dixi § V. ad fin.) Neque vero ipſa Ariſtophanis verba hanc explicationem admittunt. Nam ſi τὸ γράμμα σου *ſors* eſſet *a te educta*, non potuit dici: τὸ γράμμα λαχὸν δικάζειν, h. e. εἰ καὶ ἔλαχε τὸ γρ., ſed debuit λαχὼν τὸ γράμμα, h. e. εἰ καὶ ἔλαχες τὸ γρ., (ὥστε) δικάζειν. Nam λαγχάνειν non eſt: *ſorte obvenire*, ſed *ſortiri*, *ſortito aliquid nanciſci*, ut docuit Daweſius, Miscell. Crit. p. 125. Atque hanc ob cauſam Brunckius legi vult:

Ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὼν τὸ γράμμα σου δικάζειν.

Sed, ſi me audias, nihil hac correctione inutilius eſt. Neque bene Graecum eſſe arbitror illud: λαχὼν τὸ γράμμα σου. Mélius certe pronomen abeſſet. Retinenda igitur eſt codicum et plurimorum et optimorum lectio, quam ego ita interpretor: τὸ γράμμα σου, *littera tua*, nil aliud eſt niſi *nota ejus decuriae, cui tu ad-*

ſcriptus es. Huic litterae h. e. huic decuriae ſortito obvenit, ut judicaret ἐν τῇ σορῷ. Nam illud quidem neminem offendet, quod littera metonymice dicitur pro *decuria*, cujus ea nota eſt. De conſtructione autem abſoluta, *τὸ γράμμα λαχόν* pro *τοῦ γράμματος λαχόντος*, bene diſſeruit Kuſterus ad h. l. Cf. Matthiae Gr. gr. p 820. Neque adverſativa particula *δέ* in apodoſi Fiſcherum offendere debebat. Vid. Werfer. in Act. Philol. Monac. I, p. 90. Ex locis ab eo allatis huic noſtro maxime ſimiles ſunt Iſocr. de permut. p. 26: *δέον αὐτοὺς τὴν Φρόνησιν ἀσκεῖν — ἃ δὲ χεῖρον πεπαίδευνται.* Plutarch. de malign. Herod. c. 2: *ὥσπερ εἰ θειασμῷ προσκείμενον ἄγαν ἐξὸν εἰπεῖν τὸν Νικίαν, ὁ δὲ θεόληπτον προσείποι.* Addam alium ex eodem genere, Plutarch. vit. Demoſth. cap. 26: *εἰ, δυοῖν προκειμένων ὁδοῖν ἀπ' ἀρχῆς, τῆς μὲν ἐπὶ τὸ βῆμα — τῆς δ' εἰς τὸν ὄλεθρον, ἐτύγχανε δὲ προεισὼς τὰ κατὰ τὴν πολιτείαν κακά — ἐπὶ ταύτην ἂν ὁρμῆσαι τὴν εὐθὺ τοῦ θανάτου φέρουσαν.* Apparet nexum membrorum hunc eſſe, ut *εἰ* conjungatur cum *ἐτύγχανε*, hoc autem opponatur genitt. abſoll. *δυοῖν προκ. ὁδοῖν.* Itaque *δέ* abeſſe debebat; ſed additum eſt per quandam anacoluthiae ſpeciem, quae eadem eſt in omnibus hujus generis exemplis.

§ IX. Alter locus Ariſtophanis eſt ejusdem fabulae v. 1167. Inducitur ibi Mercurius, querens, poſteaquam Plutus oculorum uſum recuperaverit, ceterorum Deorum cultum ab hominibus plane neglectum eſſe, omiſſa ſacra, deſertas aras, templa deſolata; coelum omne ſumma inopia premi. Se autem, diuturnae famis impatientem, relictis deorum ſedibus in

terram descendisse, hominibus ministeria sua oblaturum, ut eo modo victum quaereret. Recenset igitur munera omnia, quibus fungi possit. Primum Στροφαῖον se offert, dein Ἐμπολαῖον, post Δόλιον, Ἡγεμόνιον, denique, quum nihil horum Carioni placeat, Ἐναγώνιον. Haec demum conditio accipitur; ὡς ἀγαθόν, inquit Cario,

ὡς ἀγαθόν ἐστ' ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν!
οὗτος γὰρ ἐξεύρηκεν αὑτῷ βίστιον.
οὐκ ἐτὸς ἅπαντες οἱ δικάζοντες θαμὰ
σπεύδουσιν ἐν πολλοῖς γεγράφθαι γράμμασιν.

Ex interpretibus unus est Fischerus, cujus explicationem commemorare pretium sit. „Γράμματα," inquit, „accipienda videntur de albis, indicibus, catalogis judicum; nam quia Athenis erant multa judicia, erant etiam multa judicum alba. Qui igitur id agit, ut nomen suum referatur in multa judicum alba, is vult judex sedere in multis judiciis, ut victum eo certius inveniat." Sane de albis judicum accipienda est ea locutio, ἐν πολλοῖς γράμμασι γεγράφθαι; sed illud non satis perspicio, quam vim habeat, quod dicit, quia multa erant judicia, multa etiam judicum alba fuisse. Judicia Fischero sunt dicasteria, loca, ubi judices considunt. Num igitur hoc voluit, suos cuique dicasterio judices in totum annum assignatos fuisse, alios Heliaeae, alios Parabysto, alios Trigono itemque reliquorum aliis alios, horumque indices ab Aristophane designari? Id quidem manifesto falsum est, quum constet quotidiana sortitione judices in dicasteria distri-

butos esse, ut iidem modo in hoc modo in alio dicasterio sederent. An fortassis quotidie, post sortitionem, tales catalogos confectos esse credidit? Id nemini, opinor, persuadebit; neque fieri potuit, ut unus judex eodem die in pluribus dicasteriis sederet. Cur igitur pluribus se catalogis inscribi curaret? Sed omnia planissima sunt et expeditissima, si meam rationem amplectaris. Nimirum loci sententiam hanc esse dico: Haud stulte agunt judices, qui operam dare solent, ut non uni sed pluribus decuriis adscribantur, quo, si forte uni ex his causa nulla judicanda obvenerit, ipsi tamen propterea triobolo ne careant, sed in alia decuria, cui felicior sors fuerit, judices sedeant. Atque talem fraudem haud raro factam esse ab hominibus supra modum φιληλιαστὰς, quales ab Aristophane in Vespis traducuntur, verisimillimum est.

§ X. Sed hic incurrimus in aliam difficultatem, ex qua nos, antequam reliqua persequamur, expedire conabimur. Docet enim Scholiastes ille, cui hanc de judicum divisione notitiam debemus, fuisse eam κατὰ φυλάς, tribuum divisioni accommodatam, ita videlicet, ut e singulis tribubus singulae decuriae conscriberentur. Atque hujus sententiae etiam alium adstipulatorem producere possum, auctorem Lexici rhetorici in Bekkeri Anecd. I, p. 262, 10: Ἡλιαία, μέγα δικαστήριον Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ τὰ μέγιστα τῶν δημοσίων πραγμάτων ἐκρίνετο. ἦν δὲ χιλίων πεντακοσίων καὶ ἑνός. συνήεσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν φυλῶν. Vides hic quoque φυλὰς judicum commemorari, virorum quingenorum. Quodsi verum hi Grammatici di-

cunt, non ſane intelligo, quomodo potuerit unquam fieri, ut aliquis pluribus ſimul decuriis adſcriberetur, niſi ſi tribum ſuam diſſimularet atque, poſtquam inter veros tribules ſuos ſcriptus eſſet, aliam tribum mentiretur, ut etiam in hujus decuriam irreperet; qualis fraus haud ſcio an nunquam vel tantillum temporis latere potuerit, quum, etiamſi forte non omnes tribules, at certe δημόται noti inter ſe eſſent, ut alienum ſtatim a multis agnoſci oporteret. Num igitur hi fraudem ſilentio texiſſent? Num quisquam tam exigua aut nulla potius fallendi ſpe deliquiſſet? quod quin haud impune convicto fuerit, dubitari non poteſt. Attamen non ita raro iſtam fraudem factam eſſe Ariſtophanis verba oſtendunt. Quid igitur ſtatuamus? Nihil equidem calidius dictum velim; ſed hoc certum eſt, aut frigidiſſime jocatum eſſe Ariſtophanem et temere jeciſſe, quod in neminem caderet, aut aliter decurias judicum deſcriptas fuiſſe, atque Grammatici noſtri crediderunt; qui quidem quam facile in iſtum errorem induci potuerint, quum et idem eſſet tribuum ac decuriarum numerus, et annua ſortitio tributim haud dubie fieret (v. § VII), non opus eſt multis verbis demonſtrare. Etiam Senatorum diviſio κατὰ φυλὰς confundi cum judicum diviſione facillime potuit, quum praeſertim etiam illorum tribus litteras ſuas haberent, quibus notarentur. (Schol. ad Ariſtoph. Plut. v. 973 et Petit. Legg. Att. p. 276.) Neque illud mihi leve contra iſtam ſententiam argumentum eſſe videtur, quod neque apud veterem quemquam ſcriptorem, neque apud eos Grammaticos, quorum maxima in hoc rerum genere et diligentia

eſt et ſides atque auctoritas, quidquam de tribubus judicum legitur. Nam Pollux quidem et Harpocration, quum de duplicibus aut triplicibus in Heliaea judiciis loquuntur, non e pluribus φυλαῖς ſed e pluribus δικαστηρίοις ea conflata eſſe dicunt. Pollux VIII, 124: Ἡ Ἡλιαία ἦν πεντακοσίων· εἰ δὲ χιλίων δέοι δικαστῶν, συνίσταντο δύο δικαστήρια· εἰ δὲ πεντακοσίων καὶ χιλίων, τρία. Harpocrat. in Ἡλιαία. συνῆσαν δὲ οἱ μὲν χίλιοι ἐκ δυοῖν δικαστηρίοιν, οἱ δὲ χίλιοι πεντακόσιοι ἐκ τριῶν. Apparet δικαστήρια ab his dici easdem illas judicum partes, quae φυλαὶ ab auctore Lexici rhetorici vocantur, decuriae a nobis dictae ſunt. Atque eodem modo etiam Demoſthenes loquitur, de duplici judicio narrans, orat. in Timocrat. p. 702, 24: πρῶτον μὲν τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας, εἶτα τοῦ δήμου μίαν ἡμέραν ὅλην ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἀναλώσαντος, πρὸς δὲ τούτοις δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων κτλ. Nam ne de duobus diverſis judiciis accipias, in quibus eadem cauſa acta ſit, quum univerſa rei judiciariae apud Athenienſes ratio vetat, tum Demoſthenis ipſius verba paullo poſt ſequentia, p. 703, 3: τὰ γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου, quae oſtendunt duo illa, quae ſupra dixit, δικαστήρια in unum judicium conjuncta fuiſſe. Ita hunc locum explicandum eſſe apertiſſimum eſt; neque igitur audiendus Taylorus, qui illam omnium codicum, uno excepto, lectionem ſollicitat, quam bene defendit Reiskius. — His igitur me rationibus adduci fateor, ut φυλὰς illas ſive partes judicum κατὰ φυλὰς deſcriptas pro Grammaticorum commento habeam, et decurias, quae δικαστήρια a Demoſthene, Polluce, Har-

pocratione dicuntur, etiamsi pari cum tribubus numero, plane tamen ab iis sejunctas fuisse credam, ita ut qui ejusdem essent decuriae, tribuum diversarum, qui unius tribus, diversarum decuriarum esse possent.

§ XI. Ceterum docent nos isti, quos adscripsimus, Demosthenis et Grammaticorum loci, quantae fuerint decuriae, sive quot unaquaeque viros habuerit. Nam quum duplex judicium, h. e. ex duabus decuriis constatum, mille virorum fuisse dicant, triplex autem mille quingentorum, manifestum est singulas decurias viris quingenis constitisse. Sed quum in decem haud amplius decurias judices sexies mille distribuerentur, necesse erat mille supersesse, quos illae decuriae non comprehenderent. De his, quoniam veterum scriptorum testimoniis plane destituimur, conjecturam afferre licebit, quae mihi quidem verisimillima esse videtur. Arbitror enim hos reliquorum quasi vicarios fuisse, ad complendam, si opus esset, judiciorum frequentiam. Non raro enim accidere oportebat, ut infrequentiores decuriae in foro adessent, et propter morborum mortisque casus, et propter privata singulorum negotia, et reipublicae denique causa, imprimis propter militiam. Tunc igitur quot illis deessent, tot ex his assumtos esse conjicio, ut legitimus numerus evaderet. Eadem fere est Matthiaei sententia, de Judic. p. 255, quamquam is illam decuriarum descriptionem non agnovit, sed *judicia* (h. e. dicasteria) decem omnino fuisse statuit, in quorum singulis quingeni fere judicarent, ex universa Heliastarum multitudine sorte capti.

Atque de judiciorum quidem numero auctorem ſequitur Schol. 2 ad Ariſt. Plut. 277 (vid. § IV) cujus opinio ex quo fonte fluxerit, nunc jam nemini obſcurum erit. Nam quum neſciret δικαστήριον non ſolum locum judicii deſignare, ſed etiam judicum decuriam, fieri non potuit, quin, quae de decuriarum numero ſcripta alicubi legerat, in dicaſteria, quae proprie dicuntur, transferret atque ita omnia perturbaret.

§ XII. Quod autem Matthiaeus dicit quingenos fere judices in ſingulis judiciis judicaſſe, id ego ita verum eſſe concedo, ut tamen haud raro aliquanto vel plures vel pauciores fuiſſe contendam. Atque de majore judicum numero teſtes laudare non opus eſt, quum et ante jam e Demoſthene et Grammaticis duplicia et triplicia judicia cognoverimus, et Matthiaeus ipſe hanc rem non ignoret. Unus eſt locus, apud Andocidem de Myſter. p. 9, ubi ſex millia judicum in unum judicium conjuncta memorantur, h. e. omnes, qui illo anno Heliaſtae ſortiti erant. Sed etiam pauciorem quam quingentorum numerum non raro judicaſſe patet Julii Pollucis teſtimonio, VIII, 48: εἰσήγοντο δὲ τὰ μὲν ἐντὸς χιλίων (ſuppl. δραχμῶν et πράγματα) εἰς ἕνα καὶ διακοσίους· τὰ δὲ ὑπὲρ χιλίας εἰς ἕνα καὶ τετρακοσίους. Loquitur autem Pollux de eo publicarum cauſarum genere, in quo φάσεις locum habebant. (De his conf. quae dicta ſunt de comit. Ath. p. 177.) Quodſi in his tot judices ſufficiebant, quis de minutioribus privatorum controverſiis plures judicaſſe credat? Apparet autem, opinor, ex his, quo jure apud Demoſthenem in Mid. pag. 585, 25

Pettingalius et Matthiaeus pro vulgata omnium codicum lectione διακοσίους reſcribi velint πεντακοσίους. — Ceterum quemadmodum in minoribus iſtis judiciis unum ſupra ducentos aut unum ſupra quadringentos ſediſſe Pollux teſtatur, ita in duplicibus quoque et triplicibus judiciis ſingulos ſupra millenos aut quingenos et millenos a Demoſthene et Lex. rethor. auctore numerari vidimus; ex quo colligi poteſt, ſimili modo etiam in ceteris omnibus imparem factum eſſe judicum numerum, ut, ubicunque parem ſcriptores commemorant, veluti quingentos, mille, bis mille etc., minus accurate locuti videri debeant. Cavebatur autem ita, ne paria fierent condemnantium et abſolventium ſuffragia; quamquam nonnunquam de ἴσαις ψήφοις legimus, veluti in Leocratis cauſa ap. Aeſchin. in Cteſiph. p. 643, ubi conf. Taylor. Sed fieri ſaepiſſime poterat, ut e ſortitis judicibus aliqui aut non adeſſent, aut ſero venirent atque excluderentur (vid. de comit. Ath. p. 153), itaque par numerus exiſteret.

§ XIII. Jam vero illud quilibet intelligit, quam facilem et expeditam ſortitionem fuiſſe oporteat, ſi integrae decuriae aut ſingulae ſingulis dicaſteriis aut etiam binae, trinae pluresve aſſignandae eſſent. Neque illud multum difficultatis et moleſtiae habere potuit, ſiquando infrequentes decuriae e vicariis illis, de quibus § XI diximus, ſupplendae eſſent, aut etiam aliquot extra numerum aſſumerentur, id quod nonnunquam factum eſſe videtur, velut in Socratis judicio. (Vid. Matthiae p. 253.) Sin autem aliquando integris decuriis aliarum aut

dimidiae, aut tertiae, aut quantaecunque demum partes assumendae essent, aut si omnino non integrae decuriae, sed minor judicum numerus requireretur, tunc accidere oportebat id, quod Schol. 3 ad Plut. v. 277 dicit, ut, posteaquam suum cuique decuriae dicasterium assignatum esset, iterata sortitione ex quibusdam decuriis tot viri caperentur, quot opus essent *). Potuit autem hujus quoque sortitionis negotium aliquo compendio levari; de quo tametsi haud ineptam fortasse conjecturam afferre possim, tamen, in testimoniorum defectu, tacere malo, ne cui videar vaticinari. — Sitellas, quibus in sortitione utebantur, κληρωτήρια dictas esse patet Aristophanis loco, Eccles. v. 681, ubi nulla nisi haec significatio apta est. (Cf. Schol. et Suid. in κληρωτήρια.) Apud alium neminem

*) Haec sortitio fortasse pro foribus eorum dicasteriorum peragebatur, quae cuique decuriae assignata erant. Isocrates certe, Areopagit. c. 20 de sortitione πρὸ τῶν δικαστηρίων loquitur, quod huc pertinere arbitror. Vid. Coraius et Bergman. ad. h. l. Nam priorem illam omnium decuriarum sortitionem pro foribus singulorum dicasteriorum fieri non potuisse, quilibet sua sponte intelligit. Cf. § VI, not. Atque fortassis ad hunc morem respexisse videri possit auctor or. I. in Aristogitou p. 778, de quo loco disseruit Matthiae p. 253. Nimirum ἐλάχετε de sortitione decuriarum, ἐκληρώθητε de altera sortitione accipi possit. Ceterum illud πάντων ἄρτι κληρουμένων Ἀθηναίων hyperbolice dictum esse, non opus est monere.

e veteribus Atticis hoc vocabulum legere memini; ſed a Julio Polluce X, 61 affertur ex alia Ariſtophanis fabula, quae Γῆρας inſcribebatur, quamquam ambigit Pollux, num ſitellam ibi ſignificet, an locum illum, ubi ſortiri ſolerent. De loco etiam Phrynichus accepiſſe videtur, προπαρασκ. σοφιστικῇ, in Bekkeri Anecdot. I, p. 47, 13: κληρωτήρια, ἔνθα κληροῦνται οἱ δικασταί. Alio loco, IX, 44, Pollux ipſe κληρωτήριον explicat: locum, ἵνα οἱ κληρωταὶ (ſortitores) συνεκάθιζον. Sed loquitur ibi in univerſum de urbium aedificiis, non de Athenis ſolum; quamobrem incertiſſimum mihi videtur, num locus aliquis hoc nomine Athenis fuerit. — Sortes autem erant tabellae, aliae decuriarum aliae dicaſteriorum litteris notatae: nam haec quoque litteras ſuas habuiſſe ſupra § VII demonſtratum eſt. Itaque dicaſteria quoque metonymice γράμματα dici poſſunt, non minus quam decuriae, et ἔν τινι γράμματι δικάζειν: in aliquo dicaſterio judicem ſedere. — Poſt peractam ſortitionem indicebatur a praecone judicibus, quorum quibusque dicaſteriorum ſortes obveniſſent. Haec omnia docet ille Ariſtophanis locus, quem ſupra indicari. Inducitur ibi Praxagora, muliebris reipublicae princeps, cum Blepyro, marito ſuo, novarum legum inſtitutorumque conſilia communicans.

Τὰ δικαστήρια, inquit, καὶ τὰς στωὰς
ἀνδρῶνας πάντα ποιήσω.
Βλεπ. Τὰ δὲ κληρωτήρια ποῖ τρέψεις; Πρ. Ἐς
τὴν ἀγορὰν καταθήσω,
κἄτα στήσασα παρ' Ἁρμοδίῳ κληρώσω πάντας, ἕως ἂν

εἰδὼς ὁ λαχὼν ἀπίῃ χαίρων ἐν ὁποίῳ γράμματι δειπνεῖ·
καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν
τὴν Βασίλειον διπνήσοντας· τοὺς Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην·
τοὺς δ'ἐκ τοῦ Κάππ' ἐς τὴν στοὰν χωρεῖν τὴν Ἀλφιτόπωλιν.

Βλεπ. Ἵνα κάπτωσιν; Πρ. Μὰ Δί', ἀλλ' ἵν' ἐκεῖ δειπνῶσιν. Βλεπ. Ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα
μὴ ξελκυθῇ, καθ' ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶσιν ἅπαντες.

Πρ. Ἀλλ' οὐκ ἔσταμ τοῦτο παρ' ἡμῖν.
πᾶσι γὰρ ἄφθονα πάντα παρέξομεν. κτλ.*)

---

*) Paullo obſcurius ſortiendorum judiciorum mori alludit Ariſtophanes. Plut. v. 973. Prodit ibi in ſcenam vetula quaedam ab amaſio quondam paupere, nunc divite, deſerta, Plutum accuſans eumque ſibi malorum non ferendorum cauſam eſſe querens. *Quid igitur*, Chremes ait, *num tu fortaſſis inter mulieres ſycophantria eras, ideoque communem malorum hominum fortunam experta es, qui, quum antea, dum Plutus caecus eſſet, divitiis affluerent, nunc, viſu illi reſtituto, in paupertatem delapſi ſunt?* Quum neget anus, pergit ille: Ἀλλ' οὐ λαχοῦσ' ἔπινες ἐν τῷ γράμματι; h. e. ad verbum: *Num forte non ſortita bibebas ſecundum ſortis ordinem?* ubi tacite quivis ſupplet: *ſed absque ſorte bibebas, etiam quum non liceret?* Moris autem fuiſſe videtur apud veteres, ut in conviviis de ordine bibendi

§ XIV. Hac igitur ratione, quae quam fieri potuit accuratiſſime a me expoſita eſt, vulgo Athenienſes in ſortiendis judicibus uti ſolebant. Tamen accidebat nonnunquam, ut ea deferenda eſſet, quum in quibusdam cauſis non quosvis nullo discrimine Heliaſtas judices ſortiri liceret, ſed certae conditionis homines requirerentur. Ex hoc cauſarum genere erant γραφαὶ δειλίας, λειποταξίου, ἀστρατείας et fortaſſis aliorum ejusmodi delictorum militarium, de quibus non

---

ſortirentur, quo ſpectat illud Ovidianum, Art. amand. v. 581:

Huic, ſi ſorte bibes, ſortem concede priorem

— et, ni fallor, etiam alius Ariſtophanis verſus, Lyſiſtrat. 208, ubi, quum mulieres apud vini calicem conjurent, una eorum primo loco jurare et bibere cupit, altera autem intercedit:

Μὰ τὴν Ἀφροδίτην, οὐκ (ſcr. σὺκ), ἐάν γε μὴ λάχῃς.

(Conf. Suid. in πρὶν λαχεῖν.) Igitur proprie ille Pluti verſus ſignificat: *num forte biboſa fuiſti et vini cupida?* quod vitium in mulieribus ſaepe notat Ariſtophanes; ſed facile ſpectatoribus, quum de *ſortiendo* et de *littera* audirent, judicum ſortitio occurrit, ſenſeruntque omnes oblique perſtringi a poeta pravam illam φιληλιαστῶν cupiditatem, qua incitati omni ratione, etiamſi non ſortiti eſſent, judices ſedere ſtudebant, quamquam id graviſſimae poenae obnoxium fuiſſe docet Schol. ad Plut. v. 277: εἰ δέ τις δικαστὴς εἰσήει μὴ κληρωθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον, διαφόρως ἐζημιοῦτο.

nisi οἱ στρατιῶται judicare poterant, h. e. ii, qui illo bello militaverant, ad quod ista delicta pertinebant. Docet hoc Lysias or. in Alcib. p. 520 extr.: τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω δειλίας ἕνεκα, μαχομένων τῶν ἄλλων, περὶ τούτων τοὺς στρατιώτας δικάζειν. ὁ δὲ νόμος οὐ περὶ τούτων κελεύει μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁπόσοι ἂν μὴ παρῶσιν ἐν τῇ πέζῃ στρατείᾳ. Quod enim Schottus et Marklandus hoc loco pro τοὺς στρατιώτας rescribendum censent τοὺς στρατηγούς aut τοὺς στρατηγοῦντας, merito respuit Meierus noster, de bon. damnat. p. 124. Strategi enim in his causis ἡγεμονίαν τοῦ δικαστηρίου s. jurisdictionem habebant; neque igitur ipsi judicare, δικάζειν, poterant. Et, quo magis miireris istam conjecturam, in hac ipsa oratione et in altera, quae hanc excipit, multis locis apertissime στρατηγοὶ a δικασταῖς distinguuntur, imprimis p. 557, secundae orationis initio: Ἐγὼ μέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ ὑμᾶς αἰτοῦμαι τὰ δίκαια ψηφίσασθαι, καὶ τῶν στρατηγῶν δέομαι, ἐπεὶ καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ ἀρχῇ πολλοῦ ἄξιοι τῇ πόλει γεγόνασι, καὶ περὶ τῶν τῆς ἀστρατείας γραφῶν κοινοὺς εἶναι τῶτε διώκοντι καὶ τῷ φεύγοντι. Atque hic locus etiam Marklando scrupulum injecit; quaerit enim: „Quinam sunt hi ἄνδρες δικασταί, judices, qui tam clare distinguuntur a Strategis?“ Sed pessime respondet: „Hi, qui in hac causa sedebant judices, et quorum per leges erat jurisdictio (quasi vero *judicem sedere* et *jurisdictionem habere* idem sit;) Strategi erant anni currentis, prout loquimur: isti alteri vero Strategi, qui Alcibiadi in hac causa favebant, et qui distinguuntur a judicibus, Strategi fuerunt istius anni, in quo hoc crimen admiserat Alcibiades.“ Hoc quam fal-

ſum ſit, quivis intelliget, qui vel proximas paginas attente perlegerit, e quibus manifeſtum ſit, hos ipſos Strategos, quorum aequitatem orator implorat, non advocatos Alcibiadis eſſe, ſed judicii praeſides ac moderatores; neque igitur munere abiiſſe, ſed quum maxime fungi. Omnis enim oratoris argumentatio in eo verſatur, ut oſtendat, quam iniquum ſit, eos, qui judicio praeſint, advocatorum et deprecatorum perſonam ſuscipere, id quod nunc iſti faciant. Contra Marklandum igitur illi στρατιῶται locum ſuum facile tuentur; ſed etiam Meieri correctionem, etſi dubitanter propoſitam, οἱ ἐστρατευκότες, (aut ἐστρατευμένοι, quae forma uſitatior eſt apud Atticos,) ſupervacaneam eſſe arbitror. Quidni enim στρατιῶται dicantur non quidem in univerſum ii, qui aliquando ſtipendia fecerunt, quem ſenſum neſcio cur Meierus noſtro loco requirat, ſed ii, qui tunc militabant, quum iſta delicta committerentur, de quibus judicium habendum eſt? Haec explicatio veriſimillima mihi videtur, in illo praeſertim contextu; et ſimiliter etiam apud Demoſth. or. in Polycl. p. 1206 extr. judices appellantur: ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστὲ καὶ παρῆτε ἐκεῖ, ubi στρατιῶται non alii ſunt, quam noſtro loco, ii nimirum, qui militarunt illo bello, in quo injuriam ſibi a Polycle factam eſſe queritur orator. Ad hoc ſunt in utraque oratione Lyſiaca loci nonnulli, qui oſtendunt eos judices, apud quos hae orationes habentur, ipſos participes illius expeditionis fuiſſe, in qua Alcibiades deliquerat, e. g. p. 522: οὐκ ἐξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπεδευομένων. p. 526: οὐκ ἐτολμᾶτε ἀπολιπεῖν τὰς τάξεις οὐδὲ τὰ ἄριστα ὑμῖν αὐτοῖς αἱρεῖσθαι κτλ. pag. 570: ὅτε

ὥεσθε πρὸς τοὺς πολεμίους κινδυνεύειν. Haec omnia sufficient, opinor, et ad tuendam et ad explicandam loci Lysiaci lectionem. Sed si στρατιῶται tantum de ejusmodi causis judicare poterant, manifestum est quod dixi, in sortiendis judicibus ordinarium modum deferendum et cum alio commutandum fuisse, quum fieri saepissime posset, ut in omnibus Heliastarum decuriis paucissimi essent στρατιῶται, iique per omnes dispersi, ideoque decuriatim sortiri non possent, sed ex omnibus eos secerni, et, si justo numero pauciores essent, alios fortassis assumi oporteret. — Simile quiddam etiam tum fieri necesse erat, quum ad judicandam aliquam causam non alios adhiberi liceret, nisi qui mysteriis initiati essent, cujus generis exemplum exstat apud Andocidem de myst. pag. 14: Ἔδοξεν οὖν τῷ δήμῳ, ἐν τῷ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ τοὺς μεμυημένους, ἀκούσαντας τὰς μηνύσεις, ἃς ἕκαστος ἐμήνυσε, διαδικάσαι. Etiam hanc ipsam Andocidis orationem apud initiatos judices habitam esse docent haec verba, p. 16: πρὸς δὲ τούτοις μεμνήσθε καὶ ἑωράκατε τοῖν θεοῖν τὰ ἱερά. Neque dubitari potest, quin omnes ejusmodi causae, quae ad mysteria arcanaque sacra pertinerent, apud initiatos judices agendae fuerint.

APPENDIX

DE DICASTERIIS, AD § IV.

De numero dicaſteriorum quamquam certi aliquid et explorati afferri poſſe deſpero, tamen haud abs re fore duco, veterum ſcriptorum loca, ex quibus omnis haec quaeſtio pendet, paullo accuratius examinare, quum praeſertim ſint in iis nonnulla, de quorum vel emendatione vel explicatione ſententiam meam doctorum judicio proponere cupiam. Ac primum de Scholiaſte Ariſtoph., qui in decem dicaſteriis ſortitos judices ſediſſe tradit, quid ſtatuendum mihi videatur, ſupra expoſui § XI. Petitus autem, hunc unum ſibi auctorem ſequendum putans, in congerendis decem Heliaſticorum dicaſteriorum nominibus varie erravit. Primum enim quod quatuor Ephetica hoc numero comprehendit, probare non poſſum. In Palladio quidem de caedibus inconſulto factis Demoſthenis aetate Heliaſtas judicaſſe non nego *);

*) Cf. Iſocrat. in Callimach. c. 21, ubi ſeptingenti

quodſi de his illi judicarunt, probabile eſt etiam in Delphinio eosdem judices fuiſſe, quum quis occiſum a ſe hominem fateretur, ſed jure caeſum eſſe defenderet. Quamquam ſunt quaedam apud Demoſthenem loca, quae oſtendant ne haec quidem in Delphinio et Palladio judicia Ephetis plane adempta fuiſſe (or. in Ariſtocrat. pag. 632, in Macartat. pag. 1069); unde difficillima exſiſtit quaeſtio, quaenam Epheta-rum officia quaque ratione cum Heliaſtis communicata aut plane in hos translata ſint. Huic nodo ſolvendo imparem me eſſe ingenue fateor; experiantur alii, quid efficere poſſint. Sed in eo dicaſterio, quod vocabatur ἐπὶ Πρυτανείῳ, Heliaſtas judices ſediſſe non credo, quum ea, quae ibi haberi ſolebant, judicia dicis tantum cauſa inſtituerentur, ne piaculum in civitate reſideret, (vid. qui a Matthiaeo laudantur pag. 152 ſqq.) neque igitur cauſa ulla eſſet, cur haec quoque populus ad ſe traheret. In dicaſterio autem ἐν Φρεάττοῖ cauſam dicebant ii, qui, quum ob caedem non voluntariam exſilio annuo multati eſſent, necdum a propinquis occiſi veniam impetraſſent, novae caedis ejusque conſulto factae accuſati erant. (Matth. p. 155.) Ejusmodi cauſas rariſſimas eſſe, neque unquam fere, niſi in maximis civitatibus incidere, jam Ariſtoteles monuit, Polit. IV, 17; itaque has quoque Ephetis relictas eſſe non eſt quod dubitemus.

---

judices in Palladio de caede non voluntaria judicaſſe narrantur. Non meminit hujus loci Matthiaeus.

Praeter Ephetica quatuor dicaſteria *) Petitus haecce enumerat: Heliaeam, Trigonum, Parabyſtum medium, Parabyſtum majus, Dicaſterium ad Lycum et Dicaſterium Metichi, quorum omnium meminit Julius Pollux VIII, 121. Sed de his ſingillatim disputandum eſt.

De Heliaea non attinet multis differere. Frequens ejus mentio eſt et apud ipſos veteres et apud Grammaticos, qui omnium, praeter Areopagum, judiciorum hoc maximum fuiſſe teſtantur, in quo et judices plurimi ſederint, et maximae graviſſimaeque cauſae judicatae ſint. Qui autem in Heliaea judices ſedent, proprie Ἡλιασταὶ vocantur, et judicare in Heliaea ἡλιάζειν eſt aut ἡλιάζεσθαι. Saepiſſime tamen horum verborum ſignificatio etiam latius patet et in alios quoque judices, qui quidem ſortiti erant, transfertur. Ita v. c. apud Ariſtophanem Veſp. v. 206 Philocleon Ἡλιαστὴς dicitur et v. 88 φιληλιαστής, ubi de propria ſignificatione cogitari non poteſt. Neque enim erant Heliaſtae a reliquis judicibus ita discreti, ut nusquam niſi in Heliaea judicarent, ſed omnes judices in omnibus dicaſteriis ſedere poterant, prout

*) Quintum his adnumerandum foret, τὸ ἐν Ζέᾳ, e Lex. rhet. p. 311, 17, niſi ſatis manifeſtum eſſet, non aliud hoc eſſe atque τὸ ἐν Φρεαττοῖ, quamquam a Grammatico iſto ſeorſum numeratur. Sed hac de re hic pluribus differere nec vacat neque opus eſt. Ceterum ex eodem Grammatico p. 243, 16 diſcimus dicaſterium ἐπὶ Πρυτανείῳ etiam Ἐπάλξεις dictum eſſe.

ſors cujusque quoque die cecidiſſet. Itaque Philocleon ipſe v. 120 non in Heliaea ſed in alio quodam dicaſterio, quod Καινὸν ſ. Novum vocabatur, ſediſſe dicitur, et v. 1108 ſqq. collegae ejus, ſenes Heliaſtae, ita de ſe ipſi loquuntur:

ξυλλεγέντες γὰρ καθ' ἑσμοὺς, ὥσπερεὶ τἀνθρήνια,
οἱ μὲν ἡμῶν οὖπερ ἄρχων, οἱ δὲ παρὰ τοὺς ἕνδεκα,
οἱ δ' ἐν Ὠιδείῳ δικάζουσ', οἱ δὲ πρὸς τοῖς τειχίοις.

Item judicialis merces apud Ariſtophanem ἡλιαστικὸς μισθὸς dicitur, Nubb. 863:

ὃν πρῶτον ὄβολον ἔλαβον ἡλιαστικόν.

Et Equitt. v. 799:

ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντώβολον ἡλιάσασθαι,

quis non intelligit, ἡλιάσασθαι idem plane eſſe, atque δικάσαι? Neque minus apud Demoſth. or. in Timocrat. pag. 716, ubi lex affertur de debitoribus aerarii, ἡλιάζεσθαι generali ſenſu dictum eſt: ἔνδειξιν εἶναι κατ' αὐτοῦ (τοῦ ὀφείλοντος), καθάπερ ἐάν τις ὀφείλων τῷ δημοσίῳ ἡλιάζηται. Nam non modo in Heliaea ſed ne in minoribus quidem dicaſteriis judices eſſe poterant aerarii debitores, quippe qui ἄτιμοι eſſent et ad nullam reipublicae partem admitterentur. — Hujuscemodi plura afferri poſſint; ſed rem nemini jam dubiam eſſe arbitror. Neque vero mirum videri poteſt ab eo judicio omnes denominari,

in quo ſemper plurimi, nonnunquam fortaſſis univerſi judices ſederent, praeſertim ſi ſtatuamus ipſum Heliaeae nomen, quum primitiva ſignificatione commune eſſet et omnem judicum conſeſſum deſignaret, poſtea demum uni praecipuo judicio propriùm factum eſſe. Quamquam enim plerique Grammatici nomen illud ab ἡλίῳ derivatum eſſe putant, quod locus ſubdialis fuerit et ſolis radiis patens, alii tamen rectius id a verbo ἀλίζειν aut ἀλιάζειν deductum eſſe ſtatuunt, unde eſt Herodoteum ἀλίη, *conventus*, et ἀλία, *concio*, in Pſephismate Byzantiorum apud Demoſth. de coron pag. 255 et in Pſeph. Gelenſium apud Gruterum, Inſcr. p. 401 et Taylor. ad Demoſth. l. l., et ἀλίασμα βουλᾶς, *ſenatus conſeſſus*, in eodem Pſephismate. — Ita, ut unum ſaltem teſtem producam, Grammaticus Seguerianus in Bekkeri Anecdott. I, pag. 311: Ἡλιαία δὲ ἐκλήθη ἤτοι παρὰ τὸ ἐν αὐτῇ ἁλιάζεσθαι, τουτέστιν ἀθροίζεσθαι, ἢ διὰ τὸ ὕπαιθρον εἶναι τὸν τόπον καὶ ἡλιοῦσθαι. Conf. Stephan. Byzant. pag. 292 ed. Pinedi et Ulpian. ad Demoſth. in Timocr. p. 445 Benen. Quin videtur etiam apud Antiphontem de ſaltat. p. 774 R. ἡλιαία generali ſignificatu accipiendum eſſe pro δικαστηρίῳ: ἀναβὰς εἰς τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν Θεσμοθετῶν. (Ita enim Taylorus ad Demoſth. in Ariſtocrat. pag. 629, 16 rectiſſime mutavit vulgatam ſcripturam: τὴν ἡλιακήν.) Certe paullo poſt ita loquitur, p. 775: ἀναβὰς ἐγὼ εἰς τὸ δικαστήριον, et apud Andocidem p. 14 R. legimus: ἐν τῷ τῶν Θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ.

Poſt Heliaeam Julius Pollux nominat τὸ Τρίγωνον, ejusque a Dinarcho mentionem factam

esse dicit; Harpocration autem etiam Lycurgum atque Menandrum ejus meminisse ait. Nomen a forma derivatum esse patet. Vid. Pausan. I, c. 28, Harpocr. h. v. et Lex. Rhetor. in Bekk. Anecd. I, pag. 307 et 309.

Sequitur apud Pollucem: μέσον Παραβυστον, μεῖζόν Παραβυστον· καὶ μείζονος δὲ μέμνηται Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ Παραβύστῳ οἱ ἕνδεκα ἐδίκαζον. Sed hunc locum corruptum esse non dubito. Nam si duo erant Parabysta, alterum medium alterum majus, non poterant sane opponi inter se *majus* et *Parabystum*, sed ita loqui debebat Pollux: καὶ μείζ. δὲ μέμν. Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ μέσῳ etc. Duo autem Parabysta nemo agnoscit; omnes unum modo commemorant, in quo jus dictum sit ab Undecimviris. Vid. Pausan. Att. cap. 28, Harpocr. h. v., Suidas, Lex. rhetor. p. 292 aliique. Conf. Taylor. ad Dem. in Timocrat. p. 715, 20. Itaque non dubito, quin apud Pollucem e codicibus Mss. legendum sit: Μέσον, Παραβυστον, Μεῖζον. Παραβύστου δὲ καὶ Μείζονος μέμν. Λυσίας· ἐν μέν τοι τῷ Παρ. οἱ ἕνδ. ἐδίκ., quam lectionem etiam Schottus et Jungermannus vulgatae praeferendam judicarunt. Habebimus itaque pro duobus tria dicasteria, quorum unum, quod reliquis in propinquo sitis majus erat, Μεῖζον, alterum, quod erat in loco abdito, Παράβυστον, tertium denique, medium illorum, Μέσον vocabatur. Atque de Parabysti etymo testatur Pausanias l. l., neque audiendi sunt, qui clandestina nobis judicia in eo habita narrant, ut Etymol. M. in Παράβυστον et Lex. rhetor. l. l. A talibus enim judiciis Atticae reipublicae ratio quam maxime abhorrebat.

Μέσον autem et Μεῖζον nomina ſunt non magis mira quam Καινὸν, cujus diſerte mentionem facit Ariſtophanes Veſp. v. 120, aut Βατραχιοῦν et Φοινικιοῦν apud Pauſan. I, 28, 8. Quod autem Schol. ad Ariſtoph. l. l. ait: Καινός, τόπος ἐν τῷ δικαστηρίῳ· εἰσὶ δὲ παράβυστος, καινός, τρίγωνος, μέσος, quamquam inſcitiſſime loquitur, oſtendit tamen quodammodo, Μέσον non idem eſſe atque illud, quod vulgo παράβυστον ſimpliciter vocatur, id quod Petitus aliique opinati ſunt.

Pergit Pollux: τὸ Μητίχου κάλλιον, οὗ μνημονεύει Ἀνδροτίων, et paucis interjectis: τὸ δὲ Μητίχου δικαστήριον μέγα, οὕτω κληθὲν ἀπὸ ἀρχιτέκτονος Μητίχου. Hic primum non dubito, quin rectius legatur pro Μητίχου — Μητιόχου, quemadmodum hoc nomen ſcriptum exſtat in Lex. rhetor. pag. 309, 17, et Photii Lex. apud Albert. ad Heſych. h. v. Quamquam enim reliqui Grammatici, qui hujus dicaſterii meminerunt, omnes in illa forma conſpirant, tamen neque alibi unquam, ni fallor, hoc nomen reperitur, neque unde formatum ſit, perſpici poteſt; contra Μητίοχος nomen aliunde notum eſt. Dein pro κάλλιον Toupius, Emend. in Suid. et Heſych. Vol. IV, pag. 378, legendum ſuaſit: καλούμενον, quam conjecturam probavit Matthiaeus de Judic. pag. 230. Sed vulgata lectio bene habet, eſtque κάλλιον ea ſignificatione accipiendum, quam docet Lex. rhetor. pag. 270: Κάλλιον, λυπρὸς ναὸς, ἐξ αὐτοσχεδίου γενόμενος. Id etiam Schneiderus judicat, Lex. Gr. II, p. 961, judicabuntque omnes, qui meminerint idem illud Metichium dicaſterium

ab aliis Μητίχου (Μητιόχου) τέμενος vocari, velut ab Hesychio h. v. et auct. Lex. rhetor. pag. 303 *). Erat igitur haud dubie templum in quo judicia haberi solebant, aut conditum a Metiocho quodam architecto, quod vult Julius Pollux, aut, si orator fuerit ille Metiochus, ejus consilio sive exstructum sive judiciis habendis destinatum, in qua sententia nonnullos fuisse apparet e Lex. rhetor. p. 309: Τέμενος Μητιόχου· δικαστήριον, ὀνομασθὲν ἀπὸ Μητιόχου ἀρχιτέκτονος ἢ ῥήτορος τῶν τὰ βέλτιστα συμβουλευσάντων. Et sane Metiochi oratoris meminit etiam Plutarch. praecept. reipubl. gerend., cap. 15. Afferuntur ibi e comico poeta nescio quo hi versus:

Μητίοχος μὲν (inser. νῦν aut γάρ) στρατηγεῖ,
Μητίοχος δὲ τὰς ὁδούς,
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾷ **), Μητίοχος δὲ τἄλφιτα,

---

*) His jamdudum scriptis, eandem hanc et de Μητιόχου et de Καλλίου nomine sententiam a Bastio probatam vidi, Epist. crit. p. 158 sq.

**) Reisk. pro ἐποπτᾷ, quod ad τὰς ὁδούς trahi non potest, corrigit ἐποπτεῖ, quod verbum nusquam, ni fallor, invenitur. Mihi omnia sana videntur, modo ista duo hemistichia: Μητ. δὲ τὰς ὁδούς et Μητ. δὲ τἄλφιτα locum inter se commutent. Ἐποπτᾷ haud dubie a poeta scriptum est ridiculi causa pro eo, quod exspectes, ἐποπτεύει. Ceterum designantur illis verbis ὁδοποιῶν et σιτοφυλάκων munera, de quibus vid. Böckh. de oecon. Ath. I, p. 183 et 91.

Μητίοχος δὲ πάντα ποιεῖται, Μητίοχος δ' οἰμώξεται.

Addit autem Plutarchus: Τῶν Περικλέους οὗτος εἷς ἦν ἑταίρων, τῇ δι' ἐκεῖνον, ὡς ἔοικε, δυνάμει χρώμενος ἐπιφθόνως καὶ κατακόρως. — Ceterum utar hac occaſione ad ſanandum locum mutilatum Lex. rhetor. pag. 269 extr. et 270. Leguntur ibi haecce: Κάλλιον· δικαστήριον Ἀθήνησιν οὕτω καλούμενον ἀπὸ τοῦ καλλύνειν καὶ κοσμεῖν καὶ λαμπρύνειν. Exiſtimarit aliquis Grammaticum noſtrum nomen Κάλλιον a verbo καλλύνειν derivare voluiſſe. Sed quae ſequuntur manifeſto oſtendunt ante haec verba: ἀπὸ τοῦ καλλύνειν, feſti alicujus mentionem factam fuiſſe. Ait enim: Ἄγραυλος γὰρ ἱέρεια πρώτη γενομένη τοὺς θεοὺς ἐκόσμησε. Πλυντήρια δὲ καλεῖται διὰ τὸ μετὰ τὸν θάνατον τῆς Ἀγραύλου ἑνὸς ἐνιαυτοῦ μὴ πλυθῆναι τὰς ἱερὰς ἐσθῆτας. Reſcribendum itaque: Καλλυντήρια, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, οὕτω καλουμένη ἀπὸ τοῦ καλλύνειν κτλ. Apparet quam facile librarius errare potuerit. Καλλυντήρια autem et Πλυντήρια feſta notiſſima ſunt. Vid. Meurſ. Graec. fer. hh. vv. et Corſini Faſt. Att. Diſſ. XIII.

Poſtremum a Polluce dicaſterium nominatur τὸ ἐπὶ Λύκῳ, h. e. ad Lyci fanum. Erat autem hic Lycus vetus heros Atticus, de cujus hiſtoria conferendi ſunt Hemſterhuſ. ad Ariſtoph. Plut. v. 627 et Heynius ad Apollodor. pag. 627. Ab hoc Pauſanias I, c. 19 Lyceum illud notiſſimum nominatum eſſe tradit, quamquam mox id Apollini Lycio ſacrum credide-rint. Veriſimile tamen eſt etiam poſteris temporibus Lyci fanum hoc loco permanſiſſe, in

ejusque vicinia dicaſterium illud fuiſſe, de quo Pollux loquitur. Illud certe a compluribus Grammaticis traditur, antiquitus in Lyceo jus dictum eſſe a Polemarcho. Vid. Suid. in ἄρχων, auctor συναγωγ. λέξ. χρησ. in Bekk. Anecd. I, pag. 449, et Heſych. in Ἐπιλύκιον, quo nomine illud tribunal fuiſſe videtur, niſi forte reſcrib. ἐπὶ Λύκῳ. Quidni igitur poſtea quoque judicia ibi habita eſſe credamus? Attamen Hudtwalckerus, de arbitr. pag. 14, illud ἐπὶ Λύκῳ dicaſterium unquam fuiſſe negat, ratione, ut mihi videtur, non ſatis firma uſus. Nam quod dicit ante pleraque aut praecipua ſaltem Athenarum dicaſteria Lyci herois vel ſtatuas vel ſacella (ἡρῷα) poſita fuiſſe, non equidem id nego, ſed non intelligo, cur propterea unum ex his dicaſteriis peculiari nomine τὸ ἐπὶ Λύκῳ dici non potuerit. Erraverit Pollux in eo, quod ante hoc unum dicaſterium Lyci ſacellum fuiſſe credidit, id quod verba ejus oſtendere videntur: καὶ ἥρως δὲ ἵδρυται ἀτόθι, ἔχων τοῦ θηρίου τὴν μορφήν: erraverit etiam in eo, quod huc tantum eos convenisſe putavit, qui judices corrumpere conarentur. Num propterea ipſum illud dicaſterium ne fuiſſe quidem credamus? Mihi quidem non minus peccare videntur, qui parum, quam qui nimium credunt.

Praeter haec, quae a Polluce enumerantur, dicaſteria alia nulla Athenis fuiſſe, vel ipſius verba nos credere vetant, quum ſatis diſerte indicet ſe nonniſi de nobilioribus dicturum. Ex iis autem, quae omiſit, nullum eſſe, quod ignoremus, haud facile quisquam ſibi perſua-

debit. Illud potius crediderim, non pauca esse, quorum nulla notitia ad nos pervenerit. Sed quorum apud veteres nomina exstant, haec sunt. Primum τὸ Καινόν, apud Aristoph. Vesp. v. 120:

- - ἐδίκαζεν εἰς τὸ Καινὸν ἐμπεσών.

Porro Odeum, apud eundem ejusdem fabulae v. 1104. (1109 Br.) Atque hujus etiam Demosthenes meminit, sive quis alius pro auctore orationis in Neaeram habendus est, pag. 1362, et τὰς σίτου δίκας, sive lites de alimentis repudiatae uxori a marito aut viduae a mariti heredibus praebendis ibi dijudicari oportuisse docet, id quod Pollux VIII, 33, aliique Grammatici certatim repetunt, quos omnes laudare nihil attinet, non magis quam Scholiastae illius insciti am explodere, qui (ad Aristoph. l. l.) unus omnium rem certissimam ignorat et hyperbolam frigidissimam Aristophani affingit.

Etiam Ardettus, de quo supra §. II. dictum est, dicasterium vocatur a Polluce VIII, 122: ὤμνυον δὲ ἐν Ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ. Sed quum reliqui omnes Grammatici, quotquot hujus loci mentionem faciunt, de judiciis ibi habitis taceant, lapsum esse Pollucem Meursius judicat. Equidem rem in medio relinquere malo, quam cum Kuhnio legere: ὤμνυον δ' ἐν Ἀρδ. δικαστήρια, quod ne graecum quidem est. Debebat saltem τὰ δικαστήρια scribi.

Duo alia dicasteria Pausanias nominat, Βατραχιοῦν et Φοινικιοῦν a colore dicta, I, cap. 28. Sed est hic locus paullo obscurior, quamobrem

totum adſcribendum duxi: Τὸν μὲν οὖν καλούμενον Παραβυστον καὶ Τρίγωνον (leg. τὸ — καλουμ., quod dictum eſt pro τὰ καλούμ., non ſine exemplo) τὸ μὲν ἐν ἀφανεῖ πόλεως ὄν, — τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος ἔχει τὰ ὀνόματα. Βατραχιοῦν δὲ καὶ Φοινικιοῦν ἀπὸ χρωμάτων. Ambigi poſſit, num quae dicebantur Parabyſtum et Trigonum, eadem etiam Βατραχιοῦν et Φοινικιοῦν dicta velit, a coloribus, an vero haec ab illis diverſa fuerint. Illam explicationem amicus quidam potiorem judicavit propter omiſſum ante Βατρ. et Φοινικ. articulum. Mihi contra videtur. Haud raro enim Pauſanias articulum omittere ſolet, etiam ubi maxime neceſſarius videri poſſit; et ſi Parabyſtum et Trigonum etiam aliis nominibus vocata eſſent, permirum ſane eſſet haec a nemine eorum omnium, qui de iſtis dicaſteriis loquuntur, commemorari.

Etiam in Theſei templo judicia haberi ſolita legimus apud Etymologum (v. Θησεῖον), haud ſane gravem auctorem, in hoc praeſertim rerum genere. Quodſi quis huic ſoli fidem habere nolit, facile feram. Ceteri enim nihil ejusmodi tradunt, niſi quis huc trahendum putet Schol. ad Ariſtoph Eccleſiaz. c. 681. Ibi enim quum dicat Praxagora:

καὶ κηρύξει τοὺς ἐκ τοῦ Βῆτ' ἐπὶ τὴν στοὰν ἀκολουθεῖν
τὴν Βασίλειον δειπνήσοντας, τοὺς Θῆτ' ἐς τὴν παρὰ ταύτην,
τοὺς δ' ἐκ τοῦ Κάππ' ἐς τὴν στοὰν χωρεῖν τὴν ἀλφιτόπωλιν,

Scholiaſtes τὸ Θησεῖον deſignari arbitratur, quaſi

vero non ſatis manifeſto de porticu aliqua ſermo ſit. Sed huic neque habuit quisquam fidem, neque, ut opinor, habebit. Ceterum mihi ex eo, quod ad ſortitionem judiciorum Ariſtophanes h. l. alludit, nequaquam conſequi videtur, non alia ab eo loca nominari, quam in quibus judicia haberi conſuerint. Neque igitur, ſi quis cum Meurſio pro Theſêo porticum illam, quae Thracum dicebatur, deſignari putet, quod ſane verum arbitror, propterea in hac judicia habita eſſe contendam, non magis quam in porticu farinaria. Nam in regia quidem, cujus item mentio fit, jus dictum eſſe ab Archonte ſecundo ſeu Rege vulgo notum eſt (Pauſan. Attic. c. 2, 1); quamquam utrum Heliaſtae quoque judices ibi ſederint, an ſoli Areopagitae, neſcire me fateor. Conf. Schedii Diſſert. de Areopag. c. 6, § 1. Neque magis ſcio, quodnam fuerit dicaſterium *πρὸς τοῖς τειχίοις*, cujus apud Ariſtophanem mentio fit, Veſp. v. 1109; quamquam hoc ipſum nonnulli pro Theſei templo habuerunt (Hauptmann. Forum. Attic. ab Andocide propoſ. in Reisk. orr. gr. VIII, pag. 601,) quoniam ex quatuor, quae Athenis erant, Theſêis unum ad longos muros ſitum erat. — Aliquot dicaſteria in via quae dicebatur *τῶν Ἑρμογλύφων* fuiſſe apparet e Plutarch. de Genio Socr. c. 10: *πορευομένοις δ' αὐτοῖς διὰ τῶν Ερμογλύφων* (ita leg. cum Reisk. pro *ἑρμογλυφιῶν.*) *παρὰ τὰ δικαστήρια σῦες ἀπαντῶσιν ἀθρόοι κτλ.* Sed haec fortaſſis ex iis ſunt, quorum nomina ſupra cognovimus.

Ceterum non in urbe ſolum ſed etiam in Piraeeo jus dictum eſſe Caſaubonus et Duckerus

arbitrantur, ad Ariſtoph. Equitt. v. 979. Id ego ita verum eſſe exiſtimo, ſi de minoribus inter emtores ac venditores controverſiis levioribusque delictis in foro rerum venalium et in portu commiſſis accipias, de quibus magiſtratus ipſi, non adhibito judicum conſilio, jus dicere ſolebant. Sedebant autem in Piraeeo plures magiſtratus, inter quos Agoranomi quinque totidemque Aſtynomi, porro curatores emporii, Sitophylaces aliique fortaſſis plures, quos jurisdictionem aliquam habuiſſe dubitari vix poteſt *). Sed majores cauſas, tum publicas, veluti φάσεις, tum privatas, de contractibus negotiatorum, quae ad Heliaſtici judicii cognitionem pertinebant, in Piraeeo, non in urbe, dijudicatas eſſe, nullo teſtimonio probari poteſt. Nam illud quidem non dubito, quin Ariſtophanes illo, quem indicavi, loco aliter interpretandus ſit, atque a Scholiaſtis, Caſaubono et Duckero factum eſt. Verba ejus haec ſunt:

> καίτοι πρεσβυτέρων τινῶν
> οἵων ἀργαλεωτάτων
> ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν
> ἥκουσ' ἀντιλεγόντων κτλ.

E Scholiaſtis alter, poſtquam explicuit, quid eſſet τὸ δεῖγμα, locus nimirum in Piraeeo, ubi mercium vendendarum ſpecimina proponi moris eſſet, τὸ δὲ τῶν δικῶν, ait, προσέθηκεν,

*) De Agoranomis quidem certa res eſt ex Ariſtoph. Veſp. v. 1397, et de curatoribus emporii ex orat. in Theocrin. p. 1324.

ἵνα διαβάλλῃ τὸ φιλόδικον τῶν Ἀθηναίων. Alter brevius: ἐν τῷ Πειραιεῖ, ὅπου δικάζουσιν. Similiter Casaubonus: „in Digmate, ubi convenire solent mercatores aliique otiosi homines, et ubi lites saepe disceptantur.“ Eadem fere Duckerus habet. Mihi autem illud δεῖγμα τῶν δικῶν omnino non in Piraeeo quaerendum esse videtur. Nam primum, etiamsi maxime in Piraeeo judicia habita sint, tamen id non in Digmate factum esse credam, inter maximam mercatorum emtorumque, bajulorum, praeconum atque aliórum id genus hominum turbam; dein δεῖγμα τῶν δικῶν nihil aliud significare potest, nisi locum aliquem, ubi δικῶν quasi quaedam specimina, sicut mercium in illo Piraeensi, proponuntur. Atque is locus, ni fallor, erat forum urbanum, ubi actionum, quum publicarum, tum, ut videtur, etiam privatarum, quae apud quemque magistratum institutae erant, tituli aut summaria tabulis inscripta proponebantur aut ante Eponymorum statuas aut pro tribunalium foribus *). Erant autem urbanorum magistratuum, si non omnium, at plerorumque certe tribunalia in foro.

Vix autem operae pretium est refutare errorem Hauptmanni, inter dicasteria etiam Eleusinium templum numerantis. Nam quem testem citat, Andocidem de Myster. pag. 55 R.,

*) Cf. de hoc more Demosth. in Mid. p. 548. Isocr. de permut. p. 109, ed. *Orell.* Or. in Theocrin. p. 1324. Liban. in Apolog. Socrat. ap. Herald. Animadvers. p. 555.

eum nihil ejusmodi teſtari attentus lector facile intelliget. Loquitur enim ibi non de judicum conſeſſu, ſed de Senatu, poſtridie Myſteriorum in Eleuſinio congregato; ad quem Senatum etiam accuſationes nonnunquam de delictis per Eleuſinia commiſſis deferebantur, non tamen propterea templum illud dicaſterii loco haberi poteſt, non magis quam Bacchi theatrum, in quo et ipſo, Demoſthenis quidem aetate, poſt Eleuſinia, Dionyſia et alia quaedam feſta querelae (προβολαί) de ejusmodi delictis ad populum ibi congregatum deferri ſolebant. Sed haec jam alio loco a me expoſita ſunt, de comitiis Athen. L. II, c. 5, p. 234 ſqq., quamobrem hic plura addere non opus eſt. Neque in aliis Hauptmanni et aliorum erroribus refellendis diutius immorari libet, ne longiorem ipſo libello appendicem faciam.

CORRIGENDUM.

Pag. 4 not. l. 3. Accuratius ſcribere debui: prope eum locum, ubi poſt ab Herode Attico ſtadium Panathenaicum aedificatum eſt.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS F. W. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.


3 9424 02707 7806

University of British Columbia Library

DATE DUE

FORM No. 310